

agens creatum non potest sua virtute creare. Ergo nec potest virtute sua efficere creationem. Ut enim omittam, esse difficillimum intellectu, quod creatio ipsa fiat per aliam actionem, tanquam terminus ejus, quod in hac sententia concedendum necessario est, multo tamen difficilius et impossibilius videtur, quod hoc fiat per virtutem agentis creati. Nam, si hoc agens non potest efficere creationem per modum emanationis a virtute ipsius, cur poterit illam facere per modum termini suae actionis, cum non requiratur minor virtus ad efficiendum aliquid per modum termini, quam per modum actionis? Secundo, quia tota entitas hujus formae pendet in suo esse et fieri a causa materiali; ergo, si in intrinseco et essentiali conceptu hujus formae includitur creatio, etiam illa pendeat in fieri et in esse a causa materiali, quia non potest forma ipsa physica pendere a materia secundum entitatem suam, quin omnia ea, quae sunt de essentia ejus, quatenus in ea continentur, a materia pendeant; sed contra rationem creationis est, ut habeat ex natura sua dependentiam a causa materiali, quia essentialis ratio creationis in hoc consistit, quod sit effectio ex nihilo, atque adeo independens a subjecto.

48. Unde argumentor tertio. Quia quando Deus conservat calorem sine subjecto, vel adhibet novam efficientiam ad conservandum illum, vel non: si adhibet, ergo jam habet calor novam dependentiam, quam antea non habebat; ergo illa dependentia essentialis, quam dicebatur habere calor secundum entitatem suam, quando inhærebat subjecto, non erat sufficiens ad procreandam illam entitatem, cum non sit sufficiens ad conservandam illam; ergo superflue fingitur illa dependentia, cum præter illam addenda sit in omni statu caloris alia actio, vel effectio, per quam existat. Si vero dicatur, non esse necessariam novam efficientiam ad conservandum calorem sine subjecto præter illam dependentiam essentialis, quam habebat etiam in subjecto, hoc in primis repugnat communi sensui omnium Theologorum, qui sentiunt, non posse conservari accidens sine subjecto, sine speciali ac miraculosa efficientia Dei, et præterea impugnatur ex dictis. Quia illamet dependentia essentialis natura sua pendet a subjecto non minus, quam ipse calor, ut ostensum est, quia si est de essentia caloris, necesse est, ut habeat eandem dependentiam a subjecto, quam habet calor; ergo ipsamet dependentia

non potest conservari sine subjecto, nisi aliunde suppleatur causalitas subjecti. Non potest autem suppleri ab ipsa dependentia per se ipsam, quia hoc nihil addit; ergo necesse est, ut suppleatur per novum modum divinæ efficientiæ; hic autem modus non est alius, nisi, quod extra subjectum sit, vel conservetur per modum creationis, non vero in subjecto; ergo in essentia caloris, vel alterius similis formæ non includitur aliqua dependentia essentialis per modum creationis; et consequenter nulla talis est essentialis dependentia inclusa in hujusmodi formis. Quia si aliqua esset futura, maxime esset per modum creationis, ut ratio in principio facta optime probat.

49. Ultimo argumentor, quia nullum est argumentum sufficiens ad fingendam hujusmodi dependentiam essentialis invariabilem; cum enim dicitur essentialis esse creaturæ, ut pendat a Deo, non est sensus aliquam dependentiam determinatam esse de essentia creaturæ, sed entitatem creatam talis esse naturæ et essentiæ, ut existere non possit sine dependentia a Deo. Et hoc est verissimum, quia cum sit ens per participationem, non potest habere esse, nisi manans a primo fonte totius esse. Quia vero potest manare diversis modis et per varias actiones, quæ per se singulæ sufficiunt ad dandum esse, ideo essentia creaturæ non determinat essentialiter unum vel alium modum dependentiæ, sed quocumque sufficienti contenta est. Et quamvis interdum postulet aliquem, tanquam sibi magis connaturalem, non tamen ut essentialis, aut ut simpliciter necessarium, cum de potentia Dei absoluta deleri possit. Unde licet verum sit, quando Deus conservat accidens sine subjecto, alio genere actionis illud conservare, quam in subjecto, non inde fit, illam actionem, seu dependentiam esse essentialis accidenti, aut necessariam fuisse, dum accidens in subjecto conservabatur, sed est nova actio seu dependentia, quæ divina virtute fit, et succedit loco illius, quam accidens haberet in subjecto. Atque hæ rationes, præsertim tres priores, maxime procedunt de formis, quæ ex natura sua pendent a subjecto, et per divinam potentiam possunt dari, vel conservari extra illud. De rebus vero, quæ natura sua postulant fieri per creationem, non tam evidenter procedunt rationes factæ. Quia illæ res nunquam possunt fieri per educationem, nec cum concursu causæ materialis; nihilominus tamen a paritate rationis

potest sumi efficax argumentum. Nam si ratio entis creati ut sic non consistit in hoc, quod per essentiam suam manet a Deo absque ulla dependentia media, nulla est ratio, cur aliquibus entibus creatis hoc tribuatur. Item, quia si Deus miraculose efficeret animam leonis, v. gr., separatam, necessario faceret illam per creationem, et illa creatio esset quid distinctum a tali anima, et extra essentiam ejus, cum possit talis anima existere sine illa creatione, et absque tali genere dependentiæ; ergo eadem ratione, quando creatur anima rationalis vel Angelus, illa dependentia est aliquid distinctum, et extra essentiam rei creatæ. Item, quia etiam in hac dependentia potest intelligi aliqua varietas manente eodem termino. Nam si eadem res fiat a solo Deo, vel fiat mediante aliquo instrumento, diversa est actio dependentiæ. Potest autem utroque modo fieri, ut diximus in 4 tom., et dicemus iterum agentes de transsubstantiatione.

20. *Non possunt elevari sacramenta ad efficiendum physice hominem gratum, quin eleventur ad efficiendam gratiam ipsam.* — Ex his ergo omnibus satis aperte demonstratum est, supposito modo, quo nunc fit gratia in anima, non posse sacramenta elevari ad efficiendum physice hominem gratum, quin eleventur ad efficiendam gratiam ipsam. Unde ad secundam difficultatem facilius respondetur, quidquid sit, an possit creatura esse instrumentum creationis, gratiam tamen non creari. Et ideo ex hoc capite nihil obstat, quominus sacramenta esse possint instrumenta gratiæ. Quia gratia non fit sine concursu materiali animæ, a qua pendet in fieri, et conservari. Et ideo non creatur, sed educitur de potentia obedientiali ipsius animæ. Neque etiam proprie concreatur, ut aliqui loquuntur; proprie enim concreari dicitur, quod simul fit cum alio, quod eodem tempore creatur. In productione autem gratiæ, quæ fit per sacramenta, nullius rei creatio intercedit, sed fit solum quædam veluti spiritualis alteratio, seu mutatio perfecta, qua per se primo fit animus vel homo gratus Deo, ipsa vero gratia comproducitur seu de potentia animæ educitur.

21. *Quæ est illa virtus per quam possunt instrumenta Dei concurrere quando elevantur.* — Tertia vero difficultas in principio posita plures continet, quæ communes sunt omnibus divinis instrumentis quibus supernaturalia ac miraculosa opera efficiuntur, et longissimam disputationem requirent, nisi

in disput. 31, 4 tom., late fuissent tractatæ, ubi sect. 5, explicuimus, quænam sit illa virtus, per quam possunt instrumenta Dei concurrere, quando elevantur. Diximus enim, non esse rem aliquam superadditam, sed esse ipsamet entitatem rei, quæ hoc ipso, quod creata est, et subordinata primo agenti, est in potentia obedientiali activa, ut efficiat quidquid non implicat contradictionem respectu illius. Hæc enim ratio obedientialis potentiæ communis est sacramentis, quorum elevatio divina solum in hoc consistit, quod Deus altiori modo concurrat dando auxilium sufficiens, ut res operetur secundum hanc potentiam. Neque ad hoc refert, quod sacramenta sint imperfecta in sua entitate. Quia hic concursus non fundatur in naturali eorum perfectione, sed in prædicta virtute obedientiali et in infinita Dei virtute, cui omnia subordinantur. Et ideo nihil refert, quod sacramenta consistant in motu, vel sono, dummodo aliquid entitatis habeant. Quanquam fortasse non efficiant solum per ipsum motum, qui est ens imperfectum, seu modus entis, et significatur nomine ablutionis vel unctionis, sed per ipsamet res, quæ moventur, vel applicantur, dum sacramenta fiunt, vel accipiuntur, ut per oleum, aquam, species panis, etc.; sic enim dixit Augustinus aquam esse, quæ corpus tangit et cor abluit. Unde nullum est inconveniens concedere, quæcumque creaturam quantumvis imperfectam posse a Deo assumi, ut instrumentum ad efficiendam aliam, si aliunde non involvitur specialis ratio contradictionis. Non est autem eadem ratio de relationibus divinis; illæ enim propter suam infinitam perfectionem non possunt esse in potentia obedientiali ad aliquid agendum; et cum in suo essentiali et adæquato conceptu includant essentiam, a qua est tota virtus agendi, ratione illius habent proprium ac determinatum modum agendi omnibus communem per modum unius causæ primæ ac principalis; et ideo non possunt illæ relationes cum creaturis comparari. Plura possem de hac potentia obedientiali activa hoc loco adjungere, nisi in posteriori editione primi tomi, disput. 36, sect. 6, id præstitissem.

22. *Utrum sacramenta habeant aliquam præviam actionem, ut elevari possint ad gratiam efficiendam.* — De alia vero difficultate, quomodo sacramenta possint habere actionem præviam, et an hæc necessaria sit in divinis instrumentis, in prædicta disput., sect. 9, fuse etiam dictum est. Discipuli enim D. Tho-

mæ in omnibus sacramentis conantur invenire actionem præviã connaturalem ipsis sacramentis, ut elevari possint ad gratiam efficiendam, quæ actio prævia non recipitur in anima, sed in corpore hominis, ut est lotio, unctio et aliæ similes, quas censent sufficere, ut possint sacramenta efficere gratiam in anima corpori conjuncta. Et Augustinus dicit, aquam baptismi, corpus tangere et cor abluere. Quæ doctrina fundamentum habet in D. Thoma hic, art. 4, ad 2; difficile tamen est, eam commode applicari omnibus sacramentis, præsertim si illa actio prævia requiratur ut omnino necessaria ad efficientiam instrumentalem. Quod declaratur primo, discurrendo fere per omnia sacramenta. Nam in primis verba Eucharistiæ non habent actionem præviã, ut possint esse instrumentum physicum ad efficiendam transsubstantiationem, quæ est substantialis et supernaturalis actio. Probatur antecedens, quia talis actio prævia non potest esse circa substantiam panis et vini, quia illa non est subjectum transsubstantiationis, sed potius desinit esse per eam; neque etiam potest esse actio prævia circa accidentia. Nam si in eo mysterio consideretur actio, qua accidentia separantur a substantia et per se constituuntur, vel qua corpus Christi sub accidentibus constituitur, neutra est a verbis virtute naturali. Unde neutra est actio prævia, de qua loquimur, sed est potius actio instrumentaria, quæ est supra virtutem naturalem verborum, et fit ex virtute et efficacia supernaturalis agentis. Ante hanc vero actionem nulla alia est, quæ circa accidentia versetur. Et eadem ratione probari potest, nullam esse actionem præviã, quæ versetur circa Corpus Christi; nam præter illam actionem, qua constituitur sub speciebus, cujus Corpus Christi non est subjectum, sed terminus, nulla est alia actio prævia, quam verba efficiant circa ipsum; et illa non est a verbis virtute naturali, sed instrumentali; ergo nulla potest ibi excogitari actio prævia. Nisi fortasse ipsamet prolatio verborum dicatur actio prævia. Quod non potest convenienter dici, tum quia illa actio parum refert ad solvendam difficultatem, de qua agimus, ut statim dicam; tum etiam, quia talis actio non tam est actio prævia instrumenti, quam actio, qua fit et constituitur in rerum natura ipsum instrumentum. Nam instrumentum illius actionis est verbum ore prolatum; ergo prolatio verbi non est actio, quæ fit ab instrumento, sed quæ antecedit

ordine naturæ ipsum instrumentum; ergo non est actio prævia, quæ mediet (ut sic dicam) inter instrumentum ipsum et actionem principalis agentis. Atque hæc ratio procedit de omnibus formis sacramentorum, quæ in verbis consistunt; de quibus tamen dici potest, quod habent actionem præviã, quia efficiunt species in auditu. Sed hoc quam sit impertinens, satis notum est. Quia neque illa actio confert ad effectum sacramenti, neque etiam si fingamus naturaliter vel supernaturaliter impediri, propterea impediretur sacramenti effectus. Dicitur etiam potest, verba efficere sonum in aere. Sed hoc et non recte dicitur, quia verba non tam efficiunt sonum, quam sunt ipsa quidam sonus articulatus, organis vitæ effectus. Et quamvis id esset verum, nihil referret ad præsentem quæstionem, quia neque illa actio confert aliquid natura sua ad effectum principalis agentis, qui est gratia, neque recipitur per se loquendo in illo subjecto, in quo fit actio principalis agentis. Præterea, eodem fere modo fieri potest inductio in materiis sacramentorum; nam in primis in Eucharistia species sacramentales nullam habent actionem præviã, ut conferant gratiam, sed solum necesse est, ut manducetur, quæ manducatio non est actio prævia ipsarum specierum, sed potius est passiva motio earum et quasi applicatio ad agendum, ex qua ex natura rei solum sequitur contactus quidam inter corpus sumentis et ipsas species, qui per se non est actio specierum, sed solum consistit in propinquitate et contiguitate duarum quantitatum. Et quamvis inde resultare possit aliqua alteratio materialis vel intentionalis, facta virtute accidentium sacramentalium circa gustum vel alia organa corporis manducantis sacramentum, tamen tota illa alteratio est impertinens ad effectum gratiæ, quia neque ex se confert aliquid ad illum, neque etiam est per se necessaria; nam, licet impediretur naturaliter aut supernaturaliter, non propterea impediretur effectus gratiæ. De aliis vero sacramentorum materiis, quæ consistunt in usu, est alia specialis ratio, quia proxima materia sacramenti non est aqua, vel oleum, sed ipsa ablutio, vel unctio; ergo hæc debet esse instrumentum; ergo non est actio prævia, nec potest fingi aliqua alia, quæ mediet inter hoc instrumentum et actionem principalis agentis. Secundo ex hac inductione colligitur generalis ratio. Nam etiam si admittamus, nunc de facto antecedere aliquam actionem instrumenti circa

corpus ante actionem gratiæ, quæ est a principali agente, non potest illa actio requiri, ut simpliciter necessaria in divinis instrumentis, quia illa actio ex natura sua nihil confert ad spiritualem effectum principalis agentis, neque habet proportionem vel naturalem connexionem cum illo; cur ergo existimanda est talis actio necessaria ad hunc effectum? In naturalibus enim instrumentis, quando antecedit actio prævia instrumenti, ex natura rei disponit aliquo modo ad effectum principalis agentis, cum quo habet proportionem et non cum alio; et si hoc non haberet illa actio, neque necessaria, neque utilis censetur ad effectum principalis agentis; ergo cum actiones materiales sacramentorum ex se et ex natura rei nullo modo disponant, aut conferant ad effectum gratiæ, vel non sunt actiones præviæ necessariae de potentia absoluta loquendo, vel si aliqua actio prævia est simpliciter necessaria homini, non est sufficiens. Et confirmatur ac declaratur. Nam ablutio, v. gr., super aquam nihil addit, nisi quod aqua per corpus aliquo modo fluat, seu moveatur illud contingendo; incredibile autem est posse Deum efficere gratiam per aquam sic motam, et contingentem corpus, et non per aquam quietam et propinquam, vel contiguam, absque alia motione vel materiali actione; cum illa motio, quæ est ablutio, nihil ex se conferat ad actionem gratiæ, neque habeat majorem proportionem aut connexionem cum illa, quam ipsa aqua.

23. *In divinis instrumentis non est simpliciter necessaria prævia actio connaturalis instrumento.* — Quocirca, vera responsio ad prædictam difficultatem, ut opinor, est, in divinis instrumentis non esse simpliciter necessariam præviã actionem connaturalem instrumento ante actionem et effectum principalis agentis. Et ratio est quia, ut diximus, divina instrumenta non addunt potentiam naturalem, sed obedientialem, et ideo operantur ultra terminos naturalis perfectionis, propter quod in eis non attenditur naturalis connexio, quæ reperiatur inter actiones eorum naturales et effectus principalis agentis; solum ergo requiritur, ut immediate influant in ipsum effectum Dei, ut elevata ab ipso per specialem concursum non debitum naturali perfectioni eorum, in quo differunt ab omnibus naturalibus et artificialibus instrumentis; hæc enim assumuntur ad agendum per virtutes eorum naturales, et ideo semper agunt effectum principalis agentis media aliqua actione

sibi connaturali, quamvis non semper illa actio sit prævia, proprie loquendo, ad actionem principalis agentis. Et hinc etiam oritur, ut diversa naturalia vel artificialia instrumenta ad diversos effectus requirantur, quia talis conditio instrumenti est accommodata tali actioni et non alteri; at vero divina instrumenta non habent hanc determinationem, quia solum assumuntur secundum obedientialem potentiam, quæ indifferens est ad omne id, quod non implicat contradictionem, propter infinitatem divinæ virtutis, quæ omnia latius explicui in dicto primo tomo, disputat. 31, sect. 6 et 9.

SECTIO II.

Utrum sacramenta novæ legis gratiam conferant, ut vera ac propria instrumenta physica.

4. In præcedente sectione, solum diximus, quid possibile sit; in hac superest explicandum, quid fuerit de facto a Christo institutum; non enim quidquid est possibile, affirmandum est factum esse, si omnino sit supernaturale, ac miraculosum, et revelatum non sit ita factum esse, nec ex revelatis satis colligi possit. Videtur autem ita esse in præsentem, quia quod sacramenta per physicam efficientiam conferant gratiam, solum est possibile per divinam potentiam et per maximum quoddam miraculum; sed hoc miraculum non est revelatum, neque est necessarium ad ea, quæ revelata sunt; nam, ut ea omnia verum habeant, satis est, quod suscipienti sacramentum, ratione illius conferat Deus gratiam, quanquam sacramentum ipsum physice ac proprie illam non efficiat. Quod potest confirmari primo, ex modo loquendi SS. Patrum, qui sæpe tribuunt soli Deo totum interiorem effectum sacramentorum. Cyprianus, serm. de Bapt. Christi, sic inquit: *Remissio peccatorum sive per baptismum sive per alia sacramenta donetur, propria Spiritus Sancti est et ipsi soli hujus efficientiæ privilegium manet. Verborum solemnitas, et sacri invocatio nominis, et signa institutionibus apostolicis, sacerdotum ministeriis attributa, visibile celebrant sacramentum, rem vero sacramenti Spiritus Sanctus format et efficit.* Basilus, lib. de Spiritu Sancto, cap. 15, sic scribit: *Qui nobis vitam dispensat Dominus, baptismatis pactum nobis statuit, mortis quidem imaginem implente aqua, Spiritu vero vitæ arrham præbente; et iterum infra: Aqua mortis exhibet*

imaginem, Spiritus vero vim vivificandi im-
mittit; ubi aquae solam representationem vi-
detur tribuere, Spiritui Sancto vero efficien-
tiam ex pacto. Sic etiam loquitur Ambr., 1
de Sacr., cap. 5: Aliud est elementum, aliud
consecratio; aliud opus, aliud operatio; aqua
opus est, operatio Spiritus Sancti est. Præ-
terea Hier., Isai. 4, tractans illa verba
Matth. 3: Ego vos baptizo in aqua, qui au-
tem post venit, ille vos baptizabit in Spiritu
Sancto et igne: Ex hoc (inquit) discimus, quod
homo tantum aquam tribuat, Deus autem
Spiritum Sanctum. Sic etiam Augustinus,
epist. 23: Aqua (inquit) exhibens forinsecus
sacramentum gratiæ, et Spiritus operans in-
trinsecus beneficium gratiæ, solvens vinculum
culpæ, reconcilians bonum naturæ, regenerans
hominem Christo; et in lib. 15 de Trin., c. 26,
negat, discipulos Christi dedisse Spiritum
Sanctum: Orabant (inquit) ut veniret in eos
quibus manus imponebant, non ipsi eum
dabant. Atque similes locutiones reperientur
apud Damasc., Cyril., et Greg. Nyss., quorum
loca statim referemus.

2. *Secundum argumentum.* — Secundo pro-
bari idem potest, quia si sacramenta aliquam
gratiam conferunt physice, maxime gratiam
sacramentalem; hæc enim est illis maxime
propria, et eodem modo illis attribuitur, quo
gratia habitualis; sed sacramentalem gratiam
non conferunt, ut instrumenta physica. Quia,
ut supra dixi, hæc gratia sæpe confertur
multo tempore post susceptum sacramentum,
quando occurrit opportuna occasio. Item, quia
hæc gratia interdum consistit in effectibus
quibusdam moralibus, qui non possunt per
physicam efficientiam fieri, ut est, v. gr., re-
missio totius pœnæ in baptismo; sicut ergo
vere dicuntur sacramenta conferre hos effec-
tus ex opere operato sine efficientia physica,
ita possunt veræ ac propriæ esse locutiones
Sanctorum et Conciliorum, in quibus affir-
mantur sacramenta conferre gratiam ex opere
operato, absque physica efficientia.

3. *Tertium argumentum.* — Tertio potest
sumi simile argumentum ex effectu gratiæ,
quem habet baptismus prius fide susceptus,
recedente fictione; nam illo verificantur om-
nes prædictæ locutiones. Nam ille homo mun-
datur, regeneratur et salvatur per bap-
tismum; et tamen hoc totum fit absque efficien-
tia physica; nam baptismus præteritus, qui
jam non est, non potest physice gratiam con-
ferre; ergo idem dici potest de baptismo et
de quolibet alio sacramento, in cuius præsen-

tia datur gratia. Patet consequentia, tum quia
institutio et causalitas est ejusdem rationis in
omnibus; tum etiam, quia hoc exemplum
demonstrat, non esse necessariam efficien-
tiam physicam ad verificanda omnia, quæ de
efficientia sacramentorum fides docet.

4. *Quartum argumentum.* — Quarto esse
potest aliud signum a posteriori. Quia Deus
eodem modo conservat gratiam datam cum
sacramento et sine sacramento; nam finito
sacramento non conservat illam per sacra-
mentum, sed sola actione sua; ergo eodem
modo illam dedit a principio; ergo, sicut sa-
cramentum non concurrat physice ad conser-
vationem, ita neque ad infusionem. Secunda
consequentia est evidens, et prima probatur,
tum quia conservatio non est alia actio a
productione, sed eadem continuata ac durans;
tum etiam quia sicut gratia in principio data
est ratione sacramenti, ita ratione ejusdem
conservatur; ergo, sicut hoc posterius fit sine
efficientia physica sacramenti, ita et illud
prius.

5. *Quintum argumentum.* — Quinto sumi
potest argumentum ex causa principali, unde
manat hæc virtus sacramentorum, quæ est
passio Christi. Nam ex ejus latere pendentis
in Cruce manarunt sacramenta; Christi enim
passio non efficit physice gratiam in nobis,
cum jam non sit; ergo nec sacramenta, quæ
sunt instrumenta ejus, nam si præcipua causa
non est physica, multo minus causa ministe-
riæ; vel si instrumentum proximum, quale
est passio Christi respectu Verbi divini, non
concurrat physice, multo minus concurret in-
strumentum remotum, quale est sacramen-
tum, quia remotum instrumentum non move-
tur a principali agente, nisi mediante proxi-
mo. Ideo enim remotum appellatur respectu
agentis, quamvis sit immediatum respectu
effectus, cum immediate illum attingat.

6. *Sextum argumentum.* — Sexto tandem
argumentari possumus ex fine hujus causalitatis
sacramentorum, qui est nostra sanctifica-
tio; nam ad illam nihil refert, sed potius
omnino est nobis inutile, quod sacramenta
physice efficiant vel non efficiant gratiam,
dummodo idem gratiæ fructus nobis præste-
tur. Neque etiam deservit hæc causalitas ad
augmentum vel exercitium nostræ fidei, præ-
sertim cum tota sit sub opinione, et adhuc
incertum sit, an sit possibilis. Nec alia vera
et realis utilitas excogitari potest, quæ ex
hujusmodi efficientia oriatur; Deus autem sua
miracula vel insignia opera non facit frustra;

ergo non est, cur credamus, sacramenta præ-
dicto modo elevari ad gratiam efficiendam.

7. *Prima sententia.* — In hac re multi et
graves Theologi negant, sacramenta efficere
gratiam per veram et physicam efficientiam.
Quoniam vero fides docet, sacramenta esse
causas et instrumenta gratiæ, quamvis hi
auctores in prædicta propositione negativa
convenient, in explicanda hæc affirmativa,
quam negare non possunt, multum inter se
dissentiant. Quanquam fortasse tota diversitas
magis in verbis, quam in re consistit.
Primo ergo dixerunt aliqui, sacramenta non
esse causas efficientes, sed quasi materiales
gratiæ, quam continere dicuntur, sicut vas
continens medicinam non est causa efficiens
sanitatem, sed per modum materiæ. Ita Alti-
siod., lib. 4 Sum., tract. 3, in principio, qui
unum docet verum ac de fide certum, scilicet
sacramenta continere gratiam; sub his enim
verbis definitur in Concil. Florent., in decreto
Eug., et in Trident., sess. 7, can. 6. Quod
tamen non intelligitur de formali continentia
ipsius gratiæ. Nam ipsa qualitas gratiæ non
adhæret ipsis sacramentis, sed intelligitur de
virtuali seu instrumentali continentia, quia
nimirum ex Dei promissione habent sacra-
menta virtutem ad conferendam gratiam et
applicanda nobis merita Christi jam exhibita,
et in ipsis sacramentis tanquam in ejusdem
Christi instrumentis contenta, ut effectus eo-
rum per ipsa sacramenta nobis conferantur.
Ex hoc autem principio non solum non potest
colligi, sacramenta habere causalitatem mate-
rialem et non effectivam, verum etiam potius
infertur, non posse ad aliud genus causæ nisi
efficientis revocari. Primo, quia ratione hujus
causalitatis dicuntur sacramenta mundare et
sanare, quæ efficientem potius causam, quam
materiale denotant. Secundo, quia hæc con-
tinentia non est formalis, sed virtualis, ut
dixi; ergo non dicuntur sacramenta continere
gratiam, nisi quia habent aliquam vim con-
ferendi illam; ergo necesse est, ut ad genus
causæ efficientis revocentur. Tertio, quia per
sacramentorum usum et applicationem datur
nobis gratia; sed hic modus causandi nullam
similitudinem vel proportionem habet cum
genere causæ materialis, habet autem maxi-
mam cum causa efficienti. Neque exemplum
illud de vase est ad rem, tum quia medicina
formaliter continetur in vase, gratia autem
non est ita in sacramento; tum etiam quia si
vas comparetur ad sanitatem, quam efficit
medicina, re vera non est causa materialis

ejus, neque ullo modo est causa per se, sed
potest dici per accidens, quatenus est instru-
mentum ad applicandam causam per se effi-
cientem sanitatem.

8. *Secundus modus explicandi hanc senten-*
tiam. — Secundo, dixerunt alii, sacramenta
conferre gratiam per modum impetrationis,
quia oratio ministri vel Ecclesiæ conjuncta
sacramento impetrat gratiam suscipienti,
sicut legimus, Act. 8, Apostolos præmississe
orationem ante manus impositionem: *Orave-*
runt, inquit, pro ipsis, ut acciperent Spiritum
Sanctum, et infra: Tunc imponebant manus
super illos et accipiebant Spiritum Sanctum.
Ita videtur sentire Guilielm. Paris., lib. de
Sacram. in gen., cap. 1, in fine. Hæc vero
sententia duobus modis intelligi potest: pri-
mo, quod effectus sacramenti per se pendeat
ex oratione et impetratione ministri aut Ec-
clesiæ, illique tribuendus sit, tanquam pro-
pria causæ; et hoc sensu est falsa et impro-
babilis, quia, quod non est de substantia et
necessitate sacramenti, non est per se neces-
sarium ad effectum sacramenti, nisi quatenus
necessarium est, ut suscipiens non ponat obi-
cem; sed oratio ministri non est per se de
substantia sacramenti, ut per se constat, nec
necessaria ut sacramentum fiat, quia sufficit
intentio faciendi sacramentum, et idem est de
oratione vel impetratione Ecclesiæ. Quia si
per possibile vel impossibile Ecclesia nihil
oraret, imo nec fidem aut sanctitatem habe-
ret, si applicarentur omnia necessaria ad sa-
cramentum cum debita intentione, sacramen-
tum fieret; ergo etiam daret suum effectum
non ponenti obicem. Et ratio a priori est, quia
sacramentum ex se est sufficiens causa gratiæ
in suo genere, et ideo dicitur illam conferre
ex opere operato, quod habet ex meritis et
institutione Christi, et ideo per se aliunde non
pendet ejus efficacia. Unde quamvis interdum
adjungatur oratio ministri, tamen effectus
non est illi per se tribuendus; potest autem
ad hoc conferre, ut impetret suscipienti bo-
nam dispositionem et ut non ponat obicem.
Alio modo potest intelligi hæc sententia, ut
non sit sermo de personali (ut ita dicam) ora-
tione vel impetratione ministri, sed de sacra-
mentali, ita ut ipsamet applicatio sacra-
menti dicatur quædam gratiæ impetratio,
quia illa posita, Deus promisit dare gratiam
propter merita Christi, et hoc sensu est pro-
babilis opinio et coincidit cum sequentibus.

9. *Tertius modus explicandi hanc senten-*
tiam. — Tertio ergo dixerunt alii sacramenta